



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Jus Canonicvm R.P. Pavli Laymanni, Soc: Jesu Theologi, Et
Olim In Alma Et Episcopali Academia Dilingana SS.
Canonum Ordinarii Professoris**

Laymann, Paul

Dilingæ, 1666

Titvlvs XXIV. De Officio Archipresbyteri.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62559](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62559)

tenio, si ex eo, quod Archidiaconus consuetudine diuturna iurisdictionem in Monasteria quaedam intra fines Archidiaconatus sita acquisisset, inde inferre licet, etiam in hoc Monasterium, quod eius iurisdictionem forte nunquam agnouit, aut admisit, ius aliquid competere. Multa hic dicunt Innocentius, & Antonius de Butrio. Breuiter respondeo: Si Archidiaconus in nouem v. g. Monasteria Ordinis S. Benedicti intra districtum suum posita iurisdictionem consuetudine diuturna compararit, iuris praesumptionem esse, quod etiam in decimum Mo-

nasterium eiusdem qualitatis, & inter eodem fines iurisdictionem habeat: cum de similibus idem ius ceteri debeat, arg. c. cognouimus, 29. q. 2. causa 2. Verum contra hanc iuris praesumptionem admittitur probatio in contrarium: si nimirum Monasterium illud decimum ostendat, quod Archidiaconus iurisdictionem in ipse non exercuerit, vel, etsi voluerit exercere, tamen admissus non fuerit: hoc casu obitare ipsis non debet, quod in alia similia Monasteria iurisdictionem consuetudine compararit, seu praescripserit.

TITVLVS XXIV. DE OFFICIO ARCHIPRESBYTERI.

CAPITVLVM I.

Vt Archipresbyter.

SUMMARIVM.

1. Archipresbyter praest reliquis presbyteris, *szrbanus est, seu Ecclesie Cathedralis Decanus.*
2. Alij Archipresbyteri sunt, qui Decani & Vicarij rurales seu foranei vocantur, hi delegatam iurisdictionem, & penitus dependentem ab Ordinario habent.

1. Archipresbyter subest Archidiacono, tanquam vicem Episcopi gerenti. Imperat reliquis presbyteris, quorum veluti Dux, seu Decanus est; absente Episcopo Missarum solemnia celebrat, collectam dicit, vel alij dicendam mandat. Ita Isidorus Hispalensis relatus in c. 1. d. 25.

Est autem hic sermo de Archipresbytero ciuitatis, seu ecclesiae Cathedralis Decano.

2. Praeter hunc autem alij sunt presbyteri, seu

Decani rurales, vti Gl. annotauit in c. vlt. hoc tit. Idemque Vicarij rurales, seu foranei appellatur in Clem. 2. de rescript. De ijs communiter docent DD. cum Gl. ibid. yer. foraneo, quod habeant iurisdictionem delegatam, & omnimode dependentem ab Ordinario, a quo arbitrato ipsius deponi possint. Caeterum pluribus Ecclesijs fiunt Decani, seu Vicarij rurales per electionem Capituli ruralis, & ab Episcopo vel Officiali, seu Generali Vicario confirmantur: Ita vt officium & iurisdictionem quandam ordinariam habeant subordinatam Episcopali, iuxta doctrinam Innocent. in c. cum ab Ecclesiarum, 3. de offic. Ordinar. Quamobrem nec priuari seu deponi ab officio possunt, nisi ob crimen mereantur, sicuti dixi lib. 1. Th. mor. tr. 4. c. 7. n. 20.

CAPITVLVM II.

Ministerium.

Archipresbyter curam habere debet, vt Sacerdotes Cardinales, (id est, qui parochijs

Cccc 2 rochijs

rochij præfati sunt, Gl. margin. interprete) in administratione sacramenti, & horis canonicis præfatis assidui sint; Episcopi sui præceptis obediant: Episcopo autem absente, omnia quæ sacerdotalis officij sunt, agere, vel alteri sacerdoti committere debet.

CAPITVLVM III.

Officium.

Archipresbyter ciuitatis, absente Præsule, inchoat officium Ecclesiasticum, dat benedictionem presbyteralem, Missam canit, vel alteri mandat: Episcopo Missam canente ordinat sacerdotes ad altaris ministerium: Custodi præcipit, vt in sacrario Eucharistia adsit pro morituris, ne sine sacramentis decedant; vt aliunde accedentium diœcesanorum confessiones secundum Episcopi prouisionem excipiantur: Sed & ad Catechumenorum informationem, & infantium baptismum sacerdotes prouidere debet. Legi hic potest Host. n. 3 & 4.

CAPITVLVM VLT.

Vt singulæ.

PARAPHRASIS.

Decens est, vt Episcopus onera sua partiat, & sicut ipse Ecclesiæ Matrici seu Cathedrali præest, ita per plebes Archipresbyteros seu Decanos rurales constituat, quorum officium sit non tantum plebis imperitæ sedulam curam gerere, sed etiam presbyteris, qui minoribus parochijs præfunt, inuigilare, & quæ quisque industria opus diuinum exercent, ad Episcopum referre.

SUMMARIUM.

1. *Habet Archipresbyter seu Decanus ruralis iurisdictionem in foro externo, ita tamen vt causas grauioris momenti ad Episcopum referat. Circa urbanum spectanda est cuiusq; ecclesiæ cõsuetudo.*

2. *Habuit olim iure antiquo iurisdictionem fori interni in reliquos sacerdotes: nunc autem iure nouo sacerdotes & alij clerici seculares cuilibet Confessario exposito confiteri possunt.*

3. *Decanus ecclesiæ Cathedralis dignitate seu personatum habet, non sicut rurales.*

QUÆRITVR I. Vtrum Archipresbyter iurisdictionem habeat in foro externo? Affirmat Gl. in hoc c. ver. referant. Id. que satis colligitur ex textu, si sermo sit de Archipresbyteris seu Decanis ruralibus, qui veluti Vicarij Episcopi foris constituuntur ad gubernationem Cleri: Ita tamen, vt quæcunque alicuius grauioris momenti sunt, ad Episcopum referat. In ciuitate autem, siue vbi Sedes Episcopalis est, necesse non est, Archipresbyteros Ecclesiarum iurisdictionem externam habere; cum omnia ad Episcopum, aut Officialem eius, vel ad Archidiaconum referri possunt. Spectanda verò est cuiusque Ecclesiæ consuetudo. Nam quibusdam locis, in quibus Archidiaconus non est, iurisdictionem in Clericos competit Archipresbyteris seu Decanis Ecclesiarum Cathedralium & Collegiatarum, vti notauit Hostiens. hoc tit. n. 1. Petr. Gregor. Tholos. lib. 15. Syntag. c. 21. n. 15.

QUÆRITVR II. Vtrum Archipresbyter siue Decanus iurisdictionem fori interni in sacerdotes reliquos habeat? Respondeo. Spectato iure antiquo, habere iurisdictionem & curam animarum, adeo vt nemo presbyterorum alteri, quam Archipresbytero suo de peccatis confiteri potuerit, vti colligitur ex c. 1. & c. 2. vbi id Anton. notat hoc tit. & Ioann. Andr. in c. officium n. 4. eod. Abb. in c. 3. in fine, de ecclesijs edific. Postea verò per consuetudinem obtentum est, quæ & hodie viget, vt sacerdotes alijque Clerici seculares cuilibet exposito confessorio confiteri possent, vti dixi lib. 5. Th. moral. tr. 6. c. 10. n. 4.

QUÆRITVR III. Vtrum Archipresbyter seu Decanus dignitatem aut personatum habeat. Interest enim, vt sciatur, vtrum ipsi à Sede Apostolica, aut Legato eius causæ delegari

delegari possint, iuxta c. statutum. 1. de re-
script. in 6. Et vtrum Iudex conseruator cō-
stitui possit, iuxta. c. vlt. de offic. delegati,
in 6. Resp. & Dico I. Decanus Ecclesiæ Ca-
thedralis, dignitatem, seu personatum ha-
bere censetur. Quia tametsi ponamus, iuris-
dictione præditum non esse, habet tamen
præminentiam inter Canonicos, & alios
Clericos. Quia item ratione Præpositi Eccle-
siarum secularium, licet nullam administra-
tionem seu iurisdictionem exercent, tamen

propter eminentiam, seu præcessionem, di-
gnitatem seu personatum habere censetur.
Videri potest Syl. ver. beneficium, 1. q. 5.

Dico II. Decani rurales non censentur
habere dignitatem, vel personatum; sed sim-
plex ministerium, seu officium. Neque in
Ecclesijs principalibus, seu Cardinalibus
præminent; sed solum in minoribus seu
plebanis parochijs, vti constat ex hoc c. ver.
per minores titulos.

TITVLVS XXV. DE OFFICIO PRIMICERII.

CAPITVLVM VNICVM.

Vt primicerius.

Primicerius, sub Archidiacono
constitutus, in docendo, ac psal-
lendi ratione præest Diaconis,
& alijs Clericis: quorum curam
solicitam gerere debet, vt disci-
plina inter eos obseruetur.

Aduerte primò: Quod olim veteres in
tabulis ceratis scribere soliti sint. Hinc factū
est, vt qui tabulis publicis præfectus erat,
primicerius appellaretur, id est, primus no-
tarius, seu protonotarius, vti constat ex tit.
Codicis lib. 12. de primicerio, & secundo ce-
rio, iun. Gl. rubricæ, & Nouel. 8. Iustin. c. 14.
§. A spectabili. Sed & aliorum officiorum,
vt cubiculi, palatij, militiæ, fabricæ primus
præfectus, & vno verbo, quicumque in ali-
quo hominum ordine primum albi, seu tabu-
læ ceratæ locum obtinuit, primicerius di-
ctus fuit; qui autem secundum locum tenuit,
secundocerus, & qui tertium, tertiocerus,
vti constat ex l. vlt. C. de domesticis, lib. 12.
& notauit Azor cit. l. 3. c. 17. q. 1. Petr. Greg.
Tholosanus lib. 15. Syntag. c. 22. Quare pri-

micerius hoc loco ille dicitur, qui tūm in
choro psallentium, tūm in schola primum
inter Diaconos, ac reliquos Clericos lo-
cum habuit. Quare quibusdam Ecclesijs
Præcentor appellari solet, vti videre est in c.
cūm olim, 6. de consuet. & qui alterum post
ipsum locum tenet, Sucentor, vti videre est
in c. inter dilectos, 11. de excess. Prælator. &
notat hinc Hostiensis.

QUÆRITVR, Vtrum primiceriatus,
cantoria, seu præcentoria sit dignitas, seu per-
sonatus? Respondeo: Si primicerius, seu
præcentor, ratione officij sui, inter alios Ec-
clesiæ Canonicos præminentiam habeat,
seu priorem locum in choro, in Capitulo, in
processione, censetur habere dignitatem, seu
personatum. Idque constat ex c. cūm conce-
sissent, 8. de constitut. Idemque dicendum
est de subcentoria, vti Gl. docet in cit. c. inter
dilectos. Et de Thesaurario, seu Custodis
officio; sicuti Azor annotauit cit. c. 16. q. 6.
Quod si verò Ecclesiæ Custos v. g. officium
seu administrationem habeat absque præ-
minentia, quia ratione muneris sui alios Ca-
nonicos non antecedit, tunc licet beneficium
duplex, & præbendam meliorem obtineat,
non tamen dignitatem seu personatum, vt
dixi lib. 4. tr. 2. c. 4. n. 4. §. Alia verò.